

Georg Mejer Christophorus Siegfriedus


Disputatio XII. Collegii Metaphysici : De Toto Et Partibus

Rostochii: Myliandrus, 1610

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729123650>

Druck Freier  Zugang






51

R. U. phil. 1609. 10.

12 gyl.

35 1717





DISPUTATIO XII.
COLLEGII METAPHYSICI
DE
TOTO ET
PARTIBUS


Quam
AUSPICE CHRISTO
In alma Rosarum Academia

PRÆSIDE
M. GEORGIO MEIERO
Duderstad. Sax.

Defendendam suscipiet
CHRISTOPHORUS SIEGFRIEDUS
Hildef. VVismariensis.

Ad diem 10. Octobr. horis pomeridianis.

ROSTOCHII
Ex Typographia Stephani Myliandri
Anno 1710 CX.





DE TOTO ET PARTIBUS.

Theorema I.

Totum est, cujus nullapars, ex qua natura totius constat, desideratur, quodq; continet contenta, ut unum quid sint. Arist. lib. 5. Met. c. 26.

Quae Entis naturam immediatè sequuntur disjuncta affectiones, hæcenus exposita sunt: deinceps de illis agendum est, quæ ad naturam Unius referuntur. Varia autem ex Uno nascuntur affectiones, ut totum, idem, æquale, simile, finitum, de quibus in hac, & sequenti disputatione agemus, factò initio à disputatione de toto & partibus.

II. Definitio totius in theoremate tradita Aristotelis est, cujus verba, loco citato, hæc leguntur: ὅλον λέγεται, ἔ μὴδεν ἄπεισι, μέ-
ρῳ ἢ ἄν λέγεται τὸ ὅλον φύσιν καὶ τὸ περιέχον ἐν, καὶ τὰ περι-
χόμενα, ὡς ἐν τι εἶναι ἐκείνα. Itaq; omne totum requirit partium unionem. Posito itaq; toto, partes poni necessum est, eodemq; remoto, removeri. Similiter positis partibus omnibus, ipsum totum poni: sublati vero ejusdem, tolli necessum est. Corpus & anima in resurrectione novissima copulabuntur. Ergo totus erit homo: Ab una vero parte posita, nulla necessitate inferitur totum: non enim una, sed omnes partes æquant totum. Malè igitur concluditur: Corpus hominis mortis est obnoxium. Ergo totus homo.

Theorema II.

Totum à partibus suis omnibus simul sumptis realiter non differt.

Differre totum à partibus suis omnibus separatim acceptis nemo est, qui it inficias: sed à partibus simul sumptis realiter differre, haud immeritò negatur. Timplerus quidem aliter sentit, totum à partibus suis, siue divisim siue conjunctim acceptis essentialiter differre statuens lib:3. Met:c. 5. q. 2. Rationes multas quidem, sed leves in medium profert, ut si non pondere, numero tamen certare videatur. Nam omnes probant partim totum à partibus seorsim sumptis realiter differre: partim totum à partibus conjunctim acceptis, aliquo modo differre, nimirum ratione, quod libenter concedimus. Sed sic statum invertit, quia de eo nulla est controversia. Quia itaq; à thesi, quam probare debet. Timplerus, declinat, & id solummodò propugnat, quod à nemine in dubium vocatur, officio boni disputatoris functus non est, idcirco ab ipsius opinione, quam nulla ratione munitam reliquit, haud immeritò discedimus. Etenim cum partes omnes simul sumptæ nihil aliud sint, quam ipsum totum, quomodo à toto realiter, siue essentialiter, ut loquitur Timplerus, discrepare poterit? Idemne à se ipso re distinctum? absurdum. Nihil reperiri potest in toto, quod nõ reperiatur in partibus conjunctim sumptis. Quicquid enim est in homine illud omne continetur corpore & animâ rationali. Præterea totum cum partibus suis omnibus eandem habet essentialiam, quia partes toti essentialiam largiuntur, non alienam sed propriam. Edisserat ergo Timplerus, quomodo in essentiali una & eadem discrimen reale siue essentiali consistere queat?

Theorema III.

Totum est vel perfectionale; vel essentialiale,

tiale; vel integrale; vel potentiale; vel universale, vel numerale.

I. Totum perfectionale est, quod simpliciter in se indivisibile est, cum in eo partium ratio cesset, & simplicissima quadam unitas occurrat. Atq; hoc totum quia partes non habet, non proprie totum, sed perfectum dicitur. Et soli tribuitur Deo, qui totus dicitur sine omni parte, cum sit actus purissimus & simplicissimus.

II. Totum essentiale est quod compositum est ex partibus essentiam constituentibus, potentia nempe & actu, sive materia & forma. Sic spiritus totum dicitur essentiale, quia ex actu & potentia est compositus: Corpus totum dicitur essentiale, quia constat materia & forma. Hinc rectè Scaliger exer. 359. sect. 12. Omnia quaecunq; sub Deo sunt, esse composita, inquit, etiam materiam primam. Solum Deum purum actum esse ac verè simplicem. Si esset compositus, non esset primum: partes enim toto naturâ priores sunt. Materia vero prima tamen si est potentia pura ad formam, ut fiat elementum: tamen ipsa quoq; & Ens quoddam est ab alijs separatum: composita est ex suo esse, & essentia.

III. Totum integrale est, quod componitur ex pluribus partibus coherentibus inter sese, non secundum modum actus & potentia, sed ratione continui vel contigui. Sic homo constans singulis suis membris, capite, brachio, pede & ceteris, totum dicitur integrale: Similiter domus, omnibus suis constans partibus integrantes.

IV. Totum potentiale sive potestativum est, quod habet diversas potentias realiter distinctas à sua substantia, quæ sunt principia operationis: sicut anima habet diversas potentias, ut visivam, auditivam &c. Armandus de Bello Visu tract. 2. c. 256.

V. Totum universale est, quod aptum natum est pluribus inesse, ut homo, animal. Differt vero à reliquis

speciebus totum hoc, quod illa non uni, sed omnibus partibus simul sumptis insint: hoc vero in una parte contineatur. Unde ille parte unâ sublatâ, nomen totius amittunt: hoc vero omnibus sublatis, & unâ solum remanente, nomen totius retinet.

VI. Totum numerale deniq; est numerus comprehendens pluralitatem aliquorum numerorum, sicut duodenarius dicit numerum 12. Apostolorum. Armandus de Bello Visu tract. 2. c. 256.

Theorema IV.

Datur in natura Universale extra intellectum nostrum.

I. Quia enim intellectus noster rebus ipsum Universale non affingit, sed tale statuit, quale in rebus esse cognoscit, non poterit universale ab intellectu nostro simpliciter pendere, sed revera extra eum in rebus existet. Est enim intellectus noster non mensura rerum, sed contrâ, res mensura intellectus. Et tum demum verum cognoscit, quando cognoscit id, quod in re est. Præterea si non esset universale in rebus extra intellectum, nullam haberemus scientiam: scientia enim omnis est universalium, non singularium. Jam vero scientiam esse de rebus, nullus poterit ire inficias. Universale itaq; in rebus ipsis esse necessum est. Et si in rebus, revera quoq; extra mentem existet.

II. Non vero res, sed nomina tantum universalia esse, existimarunt olim quidam, Nominales dicti, hancq; suam sententiam sequentibus argumentis confirmare conati sunt. 1. Si datur universale extra mentem, illud vel causam habet sua natura, vel nullam. Sed non nullam: quia nullam habere causam propriam est Dei. Ergo habet sua natura causam, Si vero habet, aliquando factum sit à Deo, necessum est. Quicquid autem fit, illud omne singulare est, quia actio tantum est singularium. Ergo univer-

universale in natura rerum non reperitur. 2. Omne univer-
sale est in pluribus. Atqui id quod est in uno singulari, non po-
test esse in pluribus. Igitur universale non datur extra intelle-
ctum. Nam si daretur reperiretur vel in singularibus, vel ex-
tra singularia. Extra vero singularia reperiri non potest: quia
omne quod est, eo ipso, quo est, singulare est: nec etiam reperitur
in singularibus, ut probatum est. Ergo planè non est universale
in rebus. 3. Quod solâ mentis cogitatione à rebus abstrahitur,
illud est Ens rationis, extra mentem nullibi existens. Atqui
vero universale solâ mentis cogitatione à rebus abstrahitur. E.
III. Cæterum sic qui sentiunt, laqueo contradictionis semet-
ipsum implicant. Si enim nomina concedunt universalis, utiq; &
res ipsas, quibus nomina imponuntur, universales concedant, ne-
cessum est: Cujus enim signum est universale, illud ipsum est
universale. Quare nomina quia signa sive symbola sunt re-
rum universalium, res universales negari non possunt. Respon-
demus itaq; ad argumentum eorum primum. Universale omni-
nò sua natura habere causam. Licet autem non factum sive
creatum propriè dicatur: tamen confactum, ut ita loquamur,
sive concreatum rectè dici potest. Nam quia universale non per
se subsistit, sed in alio, in ipsis videlicet singularibus, non dicitur
etiam per se factum esse: interim tamen quia singularia facta
sunt, non immeritò etiam ipsum universale, sed obliquè quasi,
factum dicitur. Non enim universale est aliquid separatum à
singularibus, ut in sequenti theoremate ostendemus. Ad alie-
rum, naturam & conditionem universalis esse, non uni, sed plu-
ribus inesse, quia non ab uno singulari, sed omnibus abstrahitur,
semulq; non de uno tantùm, sed de omnibus predicatur, ideoq;
etiam definitur universale, quod aptum natû sit pluribus inesse,
quamvis in quolibet singulari ita determinetur, ut pluribus inesse
non possit, quam tamen determinationem non habet à sua natura,
sed à principio individuante, de quo in subsequenti theoremate 6.
acturi

acturi sumus. Ad tertium & postremum dicimus, majorem non esse veram simpliciter, quia fundamentum illius abstractionis, de qua loquitur, habetur in ipsis rebus, & mens nostra illud quod abstrahit, in rebus invenit. Quare invenimus argumentum hunc in modum. Quod mens abstrahit à rebus, rebus insit, oportet. Atqui mens universale abstrahit à rebus. E. Deinde argumentum si loquatur de formali universalis, totum concedi potest. Nam distinguunt Scholastici Dd. inter universale formaliter consideratum, & subjectivè. Formaliter in mente esse, ajunt, universale: subjectivè vero in rebus. Quod ita explicamus: Universale in rebus est dispersum: In mente vero collectum. Quod enim hinc inde dispersum reperitur per omnia singularia, illud mens nostra in unum quasi colligit.

Theorema V.

Universale in natura non existit extra singularia.

Universale non pendere tantum ab intellectu nostro, sed vera extra eum in natura reperiri, præcedens theorema dedit demonstratum. Ne autem nobis obijciatur, quasi cum Platone statueremus, ideas quasdam universales, à rebus singularibus sejunctas dari, hic eam opinionem firmissimis fundamentis impugnamus, ut quilibet intelligat, nobis cum ista nihil esse commercij. Nam cum omne illud, quod per sese subsistit, singulare sit, quomodo poterit universale per se subsistere? Certè universale non est singulare. Quare extra singularia nullibi reperitur, sed in iisdem suam subsistentiam habet. Præterea singularia definiuntur per universalia. E. g. Petrus per hominem; per animal. Si autem universalia singularibus non inessent, malè singularia per universalia definirentur. Nam nulla res debet defini per id, quod in re non est. Què ergo poterit universale à singularibus esse sejunctum, & per se prorsus extra

extra singularia reperiri? Tandem cum universale nihil aliud sit, quam omnia singularia simul sumpta, non potest universale à singularibus esse separatum. Tolle enim singularia omnia, & universale nullum habebis. Qui itaq; universale à singularibus separatum esse dicit, idem à seipso separatum esse, ait.

Theorema VI.

Individuationis principium est forma specifica, prout constituit existentiam, conjuncta videlicet cum materia.

I. Principium individuationis vocant internam illam singularitatis rationem, sive principium illud internum, quod constituit individuum, ut sit individuum, & dicatur *in se ipso*, de quo satis nervosè disputat Zabarella in libro suo de constitutione individui. In vestibulo autem tractationis hujus benè notandum venit, dissertationem esse tantum de individuis materiatis, non immateriatis, qualia sunt angeli.

II. Miris vero modis digladiantur & disceptant Philosophi hac de re. Quidam enim congeriem accidentium constituunt individuationis principium, cujus opinionis autorem Porphyrium esse ferunt: Quidam quantitatem, qua sententia est Egidij de Roma: Alij haccitatem, ut Scotus: Nonnulli materiam, vel absolutè, ut Albertus; vel accidentibus individuantibus limitatam, ut Thomas: Aliqui formam specificam simpliciter, ut Averroes, Alij formam quandam specificam supervenientem, ut Ramus. Sunt deniq; qui individuationis principium agnoscunt formam specificam quidem, sed non prout essentiam constituit, eo enim modo universalis est: sed prout existentiam, conjunctam videlicet cum materia extra animum, quam sententiam ut omnium iustissimam nos cum Zabarella amplectimur.

III. Fundamentum sententia hujus hoc est, quod videlicet forma Spe-

B

ma Spe-

ma specifica, quatenus constituit existentiam, conjuncta cū materiā, individuum constituat, illudq; simul ab alijs rebus differre faciat. Positā enim hāc formā, ponitur individuum; & sublata, tollitur. Similiter differt individuum quodlibet ab alijs per illam. Quare nihil aliud, præter hanc formam, in individuo reperiri potest, cui interna illa singularitatis ratio, siue principium, quod individuum constituit, acceptum ferenda sit.

IV. Restat nunc ut contrarias sententias, siue opiniones ad re-ctum rationis iudicium revocemus, ac firmis rationibus ostendamus, quare consistere nequeant. Initiū autem non placet illorum sententia, qui accidentium congeriem individuum constituere, affirmāt. Qui enim accidentia constituere poterunt substantiam? Ne mille accidentia unicam substantiam constituere valent. Præterea sunt accidentia naturā suā posteriora individuis: Omne enim subjectum suā naturā prius est accidentibus, quæ inherent subjecto. Posterius autem quod est, non potest constituere id, quod prius. Hinc accedit, quod accidentia ab individuis dependant: Individua enim si non essent, neq; accidentia individuis essent: insunt enim & hærent in individuis, quibus sublatis, tolluntur accidentia quoq;, non vero contrā, sublatis accidentibus, necessum est statim perire accidens. Nullum autem dependens constituit id, à quo dependet.

V. Nec illorum placet opinio, qui quantitatem principium individuationis constituunt. Nam quia & quantitas accidens est, ab easdem, quas jam dedimus rationes, principium individuationis esse nequit. Deinde quantitas est vel indeterminata, vel determinata: neutra autem potest constituere individuum. Non illa, quia indifferens est ad omnia individua: non hæc, quia essentiam individuatorum jam constitutam insequitur.

VI. Nec patimur à barbaris, hæc eicitatem, nescio quam, pro principio individuationis nobis obtrudi. Hæcitas enim illa erit vel accidens, vel substantia. Si accidens, non poterit principium esse indivi-

individuationis, ut sufficienter jam demonstratum. Si substantia, neq; sic principium individuationis esse potest: nam eo modo substantialis quadam forma individuo tribueretur, contrahens formam specificam, quam sententiam absurdam esse, in sequentibus demonstrabimus.

VII. Materiam qui individuationis principium esse volunt, in eo hallucinantur, quod putent, materiam causam esse distinctionis, cum potius causa sit confusionis. Materia enim omnium rerum est una & communis, atq; indeterminata: forma est qua determinat ipsam. At inquis: non materiam simpliciter, sed quantitate signatam constituere individuum. Verum materia hanc ipsam quantitatem, ut recipiat & non aliam, habebit vel à seipsa, vel à quantitate. Sed non à seipsa, quia nullum indifferens seipsum limitat: neq; à quantitate, quia quantitas posterior est individuo: individuum n. actu constitutum insequitur.

VIII. Errant & illi, qui formam specificam simpliciter, & sine ulla limitatione acceptam, individuationis principium esse statuunt: ea enim est universalis, non individuum, quod singulare est constituens, sed speciem: forma enim specifica simpliciter sumpta speciei largitur essentiam.

IX. Qui deniq; præter formam specificam sive ultimam, adhuc aliam in individuis querunt, specificam limitantem, in maximas absurditates incidere videntur. Nam sequeretur primò, animam rationalem, qua forma specifica est hominis, formarum non esse perfectissimam, quia illa perfectissima statuitur, qua ultima est & dicitur. Si itaq; in individuo adhuc alia forma latiret præter formam specificam, esset illa animam rationali nobilior, quod certè absurdum est. Deinde negari non potest, quin omnes, que in individuis conspiciuntur operationes, ab unica forma specifica promanent. Id autem fieri non posset, nisi forma illa specifica in individuis esset forma ultima. Imò si in individuis præter formam specificam, forma esset alia, sequeretur operationes indivi-

viduo-

viduorum specie esse diversas, quod est falsissimum: ubi enim forma sunt diversa, ibi quoque operationes specie sunt diversa, quod patet exemplo hominis & equi. Est forma hominis diversa à forma equi, ideoque etiam hominis operationis specie sunt diversa ab operationibus equi. Quis vero sanus diceret, individuorum operationes, verbi causa, Petri & Pauli, specie esse diversas? Quascumque edit operationes Petrus, ea cadere possunt in Paulum, propter formam, quam uterque habet eandem, animam scilicet rationalem: sed non operationes hominis cadere possunt in equum, ob formam videlicet diversitatem.

Theorema VII.

Pars est, quæ continetur in toto.

Sic fuit totum: sequitur pars, quæ pro varietate totius multiplex constituitur. Totum perfectionale quidem nullis constat partibus, quia perfectionis non partium ratione totum dicitur. Totum essenziale partes habet essentielles. Totum integrale integrantes habet partes, easque vel similes, vel dissimiles, quarum illa nomen totius retinent: hæc vero non ita. Totum potentiale partes complectitur virtuales. Totum universale partes continet subjectivas sive inferiores, de quibus omnibus totum seorsim prædicatur. Totius denique numeralis partes sunt numeri, totum ali-
quod numerantes.

COROLLARIA.

I.


An totum universale singulis suis insit partibus? A.


II.

An pars possit esse forma compositi? A.

III.

An individua differant specie? N.





306. sect. 20. in hac verba erumpens: Omne quod est, a primo principio, aut à primo principio. Unalia dependent igitur. Ergo suâ naturâ omnia corruptibilia. Est itaq; spiritus corruptibilis; & natura: nunquam vero corrumpitur; nunquam immortalitate Deo ipsum donavit.

Theorema II.

Spiritus est vel Angelus, rationalis.

Legitimam hanc esse spiritus divisionem, concedere licet. Nam 1. Angelus tantum, & animalia existunt. 2. immortalitate fruuntur. 3. per se existunt. Ergo etiam tantum spiritus existunt.

Theorema III.

Angelus est spiritus, qui per se existit, sed semper extra corpus.

I. Dicimus Angelum per se nunquam in corpore existere, sed per accidens tamen id fieri posse, concedimus. quando corpora assumere, ut appareant hominibus. Et testatur Scaliger, Angelos ipsos sibi corpore existere. 359. sect. 13. Verum quia hujuscemodi corpora non sunt, & natura eorum non est, corporibus reformare, merito per se ab omni corporis unionem.

II. Sunt vero Angeli in duplici differentia: quidam mali. Malitiam intelligimus, sed moralem. Diabolus enim ratione esse bonus, ac Angelus bonus. Quia 1. est Ens. 2. bonum: quia bonum cum Ente convertitur. Quicquid autem à Deo creatum est, bonum est.

A 3



the scale towards document